

98. Resp. *Dist. mai.*, ita ut non sit in partibus corporis organici primo, et per se, *conc. mai.*, ita ut non sit in eis, prout ad totum referuntur, *neg. mai.* Eadem ratione *dist. min.*, quaelibet pars corporis non est corpus organicum, sed tamen ad illud ordinatur, *conc. min.*, secus, *neg. min.* *Neg. cons.* Anima humana, quippe quae ceteris formis superior est, ea virtutis perfectione pollet, ut diversas exerere possit operationes; et ideo corpus, quod anima informat, diversis organis instructum esse debet, ut per haec ad diversas operationes exercendas idoneum efficiatur<sup>1</sup>. Quapropter non nisi totum corpus, quod nempe ex diversis organis constituitur, est proprie, sive *principaliter* et *per se* illud, quod ab anima informatur. At vero, quia partes habent ordinem ad totum, consequitur animam, quae est forma totius corporis, ac proinde est in toto corpore, esse etiam formam singularum partium, ideoque in his singulis residere<sup>2</sup>.

99. Obiic. 3<sup>o</sup> Si anima in qualibet parte corporis est, crescentibus partibus corporis, anima, ut esse possit, ubi prius non erat, iterum creetur oportet; et, ablata quacumque corporis parte, vel illinc excedit anima, vel commigrat ex illa parte in alias. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

100. Resp. *Neg. mai.* Et sane, quod spectat ad primum, illa iterata creatio non expostulatur; nam, crescentibus partibus corporis, anima non proprie incipit esse, ubi prius non erat, sed, cum sit forma corporis secundum essentiam, crescentibus huius partibus, anima eas vivificare incipit<sup>3</sup>. Quod attinet ad alterum; et dicendum, s. Thomas inquit, quod, praecisa parte,

<sup>1</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 4 c.

<sup>2</sup> « Corpus organicum est perfectibile ab anima primo, et per se, singula autem organa, et organorum partes in ordine ad totum »; *Op. cit.*, loc. cit., ad 13. Exinde duo facile intelliguntur. Primum est, quod etsi anima sit in qualibet parte corporis, tamen non singulae partes corporis sunt animal. « Anima non est in qualibet parte corporis primo, et per se, sed in ordine ad totum, et ideo non quaelibet pars animalis est animal » (*Ibid.* ad 2). Alterum est, quod anima, cum sit in singulis corporis partibus, in pluribus locis non est. Etenim eo modo anima est in singulis corporis partibus, quo ad eas veluti forma comparatur. Atqui forma comparatur « ad partes per posterius, secundum quod partes habent ordinem ad totum » (I, q. LXXVI, a. 8 c.). Ergo ex eo, quod anima in singulis partibus est, in pluribus locis eam esse perperam infertur. Cf p. 220, not. 1.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 10 ad 17.

non requiritur quod auferatur anima, vel quod ad aliam partem transmutetur, nisi poneretur, quod in illa sola parte anima esset, sed sequitur quod illa pars desinat perfici ab anima totius<sup>4</sup>.

101. Obiic. 4<sup>o</sup> Nihil eius, quod est totum in aliquo loco, potest esse ultra locum illum. Atqui in una parte corporis anima est tota. Ergo nihil animae in ceteris corporis partibus esse potest.

102. Resp. *Dist. mai.*, si agatur de toto *secundum quantitatem*, *conc. mai.*, si de toto *secundum essentiam*, *neg. mai.*; *dist. etiam min.*, est tota *secundum essentiam*, *conc. min.*, *secundum quantitatem*, *neg. min.* *Neg. cons.* Equidem illud, quod habet partes extra partes, ita est in aliquo, ut quaelibet pars eius respondeat parti eius, in quo est; proindeque si sit totum in aliquo, nequit esse in alio. At e contrario, anima, ut diximus, ideo est tota in qualibet parte corporis, quia simplex est, et loco non circumscibitur; proindeque est tota non secundum quantitatem, seu aliquam *totalitatem partium*, sed secundum essentiam, seu *perfectionem suae naturae*<sup>2</sup>. Iam, cum anima sit secundum essentiam tota in una parte corporis, profecto « nihil animae est extra animam, quae est in hac parte corporis; non tamen sequitur quod animae nihil sit extra hanc partem corporis; sed quod nihil sit extra totum corpus, quod principaliter perficit<sup>3</sup> ».

## CAPVT VI.

### De essentia animae humanae

Discrimen inter animam, et corpus in praesenti pro certo sumentes, haec circa animae humanae essentiam inquirimus: 1<sup>o</sup> an ad genus substantiae pertineat; 2<sup>o</sup> quanam eius definitio sit; 3<sup>o</sup> quid de illorum sententia dicendum, qui essentiam animae humanae in cogitatione, vel in cogitandi vi constituunt.

#### ART. I. Substantialitas animae contra Sensistas vindicatur

103. Humius<sup>4</sup>, et Condillachus<sup>5</sup>, secundum Lockii placita<sup>6</sup>,

<sup>1</sup> *Op. cit.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 4 ad 15.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. V, a. 3 ad 7.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 10 ad 3.

<sup>4</sup> *Tract. hum. nat.* (angl.), lib. II, part. IV, c. 6.

<sup>5</sup> *Traité des sensations*, part. I, c. I, § 2.

<sup>6</sup> Cf *Ontol.*, c. VII, art. 2, p. 41. Paucis abhinc annis H. Janeus (*La*

animam non substantiam, sed quamdam affectionum complexi-  
onem esse contendunt. Qua in re Protagoram, veteresque Sensi-  
stas secuti sunt, qui animam non aliud esse, quam sensationes  
asseruerunt <sup>1</sup>.

104. Prop. *Anima humana est quaedam substantia.*

*Probatur.* Anima in re viventi contrarias qualitates ad concen-  
tum redactas conservat, et pugnantem organorum affectiones, ne  
se mutuo perimant, rata lege cohibet, et denique tam diversa  
munia tanto ordine, et consensu administrat <sup>2</sup>. Atqui ea forma,  
cuius merito, ac beneficio haec omnia perficiuntur, accidentalis  
esse non potest, sed substantialis; cum alicuius accidentis tanta  
efficacia esse nequeat, tantumque imperium in membrorum rei  
viventis, et contrariarum qualitatum quasi rempublicam. Ergo.

105. Adhaec, viventia sunt quidem substantiae. Si igitur ea,  
quae vivunt, per animam vivunt, haec profecto non accidens,  
sed substantia est. Id ex eo confirmatur, quod « est commune  
omni accidenti, quod non sit de essentia rei <sup>3</sup> »; dum e contra-  
rio, anima ad essentiam viventis ita pertinet, ut vivens idem  
prorsus ac animatum sit.

106. Denique quantum Lockii, eiusque asseclorum placita a  
veritate abhorreant, ostendimus in *Ontologia* <sup>4</sup>. Argumentis,  
quae ibi retulimus, adiicere praestat, 1° quod affectiones, sive  
qualitates varias, et sibi succedentes, animam vero immotam in  
nobis experimur; quapropter anima ex ipsis affectionibus, sive  
qualitatibus constitui nequit; 2° quod permultae ex hisce affe-  
ctionibus ab ipsa anima in se gignuntur; ac ideo anima a suis  
affectionibus, perinde ac causa ab effectu, distinguenda est.

ART. II. *Quomodo substantia animae humanae  
definienda sit, explicatur*

Postquam vidimus animam humanam in genere substantiae  
collocandam esse, quaenam huius substantiae essentia sit, ex-  
plicandum nobis est.

107. Prop. *Essentia animae humanae in eo consistit, quod sit  
principium intellectivum, et simul forma substantialis corporis.*

philosoph. Franc. du XIX siècle, p. 16, et 243, 2° ed. Paris 1860) Con-  
sillachi doctrinam ad vitam revocavit.

<sup>1</sup> Cf Laert., lib. IX, segm. §1. — <sup>2</sup> Cfs. Aug., *De quant. an.*, c. 10, n. 17.

<sup>3</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 12 ad 7. — <sup>4</sup> *Loc. cit.*

*Probatur.* Essentia rei illud significare debet, quod res cum  
aliis commune habet, atque illud, quo ipsa ab aliis discrimina-  
tur. Atqui anima humana ex eo quod est forma substantialis  
corporis, ac proinde substantia incompleta, quae per se, et na-  
turaliter ad coniunctionem cum corpore ordinem habet, cum  
aliis animarum speciebus consentit; siquidem ipsa, aequae ac istae,  
suum esse corpori communicat, illudque vivificat, et informat:  
atque ex eo, quod est principium intellectivum, ab iis distingui-  
tur. Rursus ex eo, quod ad coniunctionem cum corpore ordi-  
nem habet, differt a substantiis intellectualibus, quae *separatae*,  
sive *Angeli* dicuntur: et ex eo, quod est principium intellecti-  
vum, cum eis consentit; nam animae humanae ex eo, quod in-  
tellectiva est, illud, ut mox ostendemus, convenit, non habere  
*esse concretum in materia* <sup>1</sup>, ac proinde a corpore separatam  
subsistere posse. Ergo essentia animae humanae in eo consistit,  
quod est principium intellectivum, et simul forma substantialis  
corporis.

108. Ex his colligitur, quomodo anima humana sit definienda.  
Porro animae communiter acceptae definitio est: *Actus primus  
corporis physici organici potentia vitam habentis* <sup>2</sup>. Voces illae,  
*actus primus*, animam esse formam substantialem, ac proinde a  
formis accidentalibus distingui designant <sup>3</sup>. Dicitur autem actus  
corporis physici organici, quia « anima facit ipsum corpus or-  
ganicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum <sup>4</sup> ». Iis verbis,

<sup>1</sup> Cf p. 183. Ex hoc, quod anima humana non habet *esse concretum in  
materia*, consequitur quod ipsa, etsi sit substantia incompleta, quia, cum  
sit pars humanae naturae, non habet perfectionem suae naturae, nisi in  
unione ad corpus (*Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 2 ad 3); tamen est in  
genere substantiae non solum *sicut principium*, quod nempe totum sub-  
stantiale constituit, sed etiam *sicut species*. Cuius rei ratio haec est: Sub-  
stantia dicitur ens, cui convenit esse in se. Atqui *esse in se* non ipsarum  
formarum, si materiales sint, nempe a materia pendeant, sed totius com-  
positi substantialis proprium est; e contrario animae humanae, quippe  
quae est forma a materia non dependens, proprium est *esse in se*, quod  
ipsa corpori communicat. Ergo ceterae formae non sunt in genere sub-  
stantiae, *sicut species*, sed solum *sicut principia*; anima autem humana est  
in genere substantiae non solum *sicut principium*, in quantum est forma  
huius corporis, sed etiam *sicut species*, quia habet esse absolutum, non de-  
pendens a materia; In lib. II Sent., Dist. III, q. I, a. 6 sol.

<sup>2</sup> I, q. LXXVI, a. 4 ad 1. — <sup>3</sup> Cf *Cosmol.*, c. I, art. 3, p. 97-98.

<sup>4</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De An.*, a. 1 ad 13.

*potentia vitam habentis*, significatur animam, cum sit actus primus corporis organici, efficere, ut ipsum ad vitales operationes edendas potentiam habeat<sup>1</sup>. Iam prout huiusmodi operationes sunt vel vegetativae, vel etiam sensitivae, anima in vegetativam plantarum, et sensitivam brutorum dividitur. Ab his anima humana distinguitur, quae operationes sine corporis organo, nempe intellectivas, etiam exercet. Hinc ipsa definitur: Principium intellectivum, quod est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis. Quam definitionem tradit etiam s. Augustinus inquit: « Si definiri tibi animum vis, et ideo quaeris, quid sit animus; facile respondeo. Nam mihi videtur esse substantia quaedam rationis particeps, regendo corpori accommodata<sup>2</sup> ».

109. Cum haec sit essentia animae humanae, ipsa dicitur esse « in confinio spiritualium, et corporalium creaturarum<sup>3</sup> », quia medium locum tenet inter naturam angelicam, quae intellectualis est, et naturas corporeas; atque perfectiori modo quiddam ad naturas inferiores pertinet, complectitur<sup>4</sup>, et modo imperfectiori intelligentiam, quae Angelorum propria est, participat<sup>5</sup>. Hanc ob rationem *infima* inter substantias intellectuales<sup>6</sup>, vel *natura intellectualis obumbrata*<sup>7</sup> appellatur; non enim per simplicem intelligentiam, quemadmodum Angeli, sed per discursum ad rerum cognitionem pervenit; id quod ex imperfectione intellectivae vis eius repetendum est<sup>8</sup>. Quapropter anima humana potius *rationalis*, quam *intellectualis* nomen habet.

<sup>1</sup> I, loc. cit. Profecto vivens substantia constituitur in suo *esse*, ac proinde principium vitae habet, dum materia recipit formam substantialem; atque hoc fit, antequam ipsa operationes sibi proprias, seu vitales, eliciat. Quocirca anima, cum actus primus, seu forma substantialis corporis organici sit, ipsi communicat principium vitae, quo corpus vitales operationes elicere potest. Hinc s. Thomas: « Dicitur aliquid esse in potentia dupliciter: uno modo, cum non habet principium operationis; alio modo, cum habet quidem, sed non operatur secundum ipsum: corpus autem, cuius actus est anima, est habens vitam in potentia, non quidem primo modo, sed secundo »; *In lib. II De An.*, lect. II.

<sup>2</sup> *De quant. anim.*, c. 13, n. 22. — <sup>3</sup> I, q. LXXVII, a. 2 c.

<sup>4</sup> Cf p. 185-186. — <sup>5</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 6 ad 2.

<sup>6</sup> I, q. LXXXIX, a. 1 c. — <sup>7</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, a. 1 ad 4.

<sup>8</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XV, a. 1 c. Ex hoc, quod anima humana infimum inter substantias intellectuales locum tenet, aliud, praeter illa, quae iam attulimus (p. 184-185), argumentum praesto nobis est, quo illam formam substantialem corporis esse oportere perhelle ostenditur. En

ART. III. *Essentiam animae neque in cogitatione, neque in vi cogitandi constitui posse demonstratur* •

110. Cartesiani, quemadmodum essentiam corporis in extensione<sup>1</sup>, ita essentiam animae in cogitatione consistere docent. Alii, inter quos Storchenavius<sup>2</sup>, et Galluppius<sup>3</sup>, essentiam animae in vi cogitandi, quae per diversas facultates determinatur, diversasque exercit actiones, sitam esse docent<sup>4</sup>.

111. Prop. *Neque in cogitatione, neque in vi cogitandi essentia animae constitui potest.*

*Probatur* prima pars. 1° Cogitatio, cum sit animae actio, expostulat principium, quod agit, sive essentiam animae, a qua ipsa proficiscitur; unde essentia, sive *forma* nuncupari solet *actus*

quomodo argumentum hoc s. Thomas exhibet: « In sui natura non habet (*anima humana*) perfectiones intelligibiles, sed est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima ad formas sensibiles: unde ad propriam operationem indiget ut fiat in actu formarum intelligibilium, acquirendo eas per sensitivas potentias a rebus exterioribus; et cum operatio sensus sit per organum corporale, ex ipsa conditione suae naturae, competit ei, quod corpori uniat, et quod sit pars speciei humanae, non habens in se speciem completam » (*Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 7 c.). Brevius alibi: « Ad hoc, quod (*animae humanae*) perfectam, et propriam cognitionem de rebus habere possent, naturaliter sunt institutae, ut corporibus uniantur » (I, q. LXXXIX, a. 1 c.). Itaque primo ex muniis, quae anima humana circa corpus obit, ipsam esse illius formam substantialem colligitur (cf p. cit.); deinde ex eo, quod est forma substantialis corporis, infimam substantiarum intellectualium speciem per eam constitui evincitur; denique ex eo, quod infima est inter substantias intellectuales, per demonstrationem *regressivam* (cf *Log.*, p. II, c. III, art. 3, p. 66, vol. I) ratio redditur, cur ad eius essentiam, ut sit forma substantialis corporis, pertineat.

<sup>1</sup> Cf *Cosmol.*, c. II, art. 1, p. 107. Giobertius etiam, et Rosminius Cartesio hac in re concinere videntur; nam secundum Giobertium ex intuitionem primitivam Dei essentia animae exurgit (*Protol.*, Saggio I, § I, vol. I, p. 173), et secundum Rosminium, intuitio entis possibilis est « actus primus, qui intelligentiam humanam constituit »; *N. S.*, sez. V, part. 2, c. 4, art. 1, § 3, p. 92, Torino 1852.

<sup>2</sup> *Instit. met.*, *Psych.*, p. II, sect. I, c. 5, § 156-158.

<sup>3</sup> *Lezz. etc.*, lez. LXXI.

<sup>4</sup> Haec sententia ex doctrina Leibnitii enata esse videtur, qui essentiam animae in vi repraesentativa totius universi posuit. Cf *Ideal.*, c. I, art. 3, p. 191, vol. I.

*primus*, operatio autem *actus secundus*, cuius principium proximum est potentia, sive facultas, et principium remotum est essentia. Atqui id evidentissime ostendit essentiam animae in cogitatione sitam esse non posse; siquidem rei essentia ex eo constitui nequit, quod essentiam iam constitutam exigit. Ergo. 2° Cogitatio ab ipsa anima producitur. Atqui anima sui ipsius essentiae causa esse non potest; secus, in largiendo sibi metipsi essentiam, operaretur, antequam existeret. Ergo essentiam animae in cogitatione constitui manifeste absurdum est. 3° Cogitationes dissimiles omnino, variaeque sunt, ut interdum una, interdum alia ab anima producat. Ergo cogitatio tamquam animae essentia haberi nequit, alioquin essentia illa variabilis, multiplex, inaequalis, diversa foret; cum tamen essentia rerum, ut iam ostendimus<sup>1</sup>, constans, ac invariabilis esse debeat. 4° Data Cartesiana sententia, anima humana ab ipso Deo non distingueretur. Ergo. *Antecedens* ex D. Thoma ita demonstratur: Solius Dei proprium est, ut, infinite simplex cum sit, ab operatione propria non distinguatur; res vero creatae partim actu, partim potentia componuntur, unde a sua operatione realiter distinguuntur. Atqui, admissa Cartesii sententia, anima nostra a sua operatione realiter non distingueretur, ac proinde in *actualitate*, cuiusmodi est operatio, quamlibet *potentialitatem* excludente consisteret<sup>2</sup>. Ergo. Rursus: Anima est forma per se subsistens; ergo, si eius essentia in cogitatione admittitur, cogitatio aliquid per se subsistens foret. Atqui ad unum Deum pertinet, ut Eius intelligere sit per se subsistens. Anima igitur humana, si Cartesii sententia veritati consentiret, ab ipso Deo non distingueretur<sup>3</sup>.

112. *Probatur altera pars.* 1° Essentia ea est, ex qua facultates animae, tamquam ex radice, profluunt<sup>4</sup>. Atqui vis, per quam anima diversas facultates exercet, non est principium, ex quo hae facultates derivant, sed dumtaxat naturalis proclivitas, quae in facultatibus ad actiones suas exercendas inest, et quae nomine *conatus* designatur<sup>5</sup>. Ergo. 2° Ex essentia ratio omnium, quae rei conveniunt, petenda est. Atqui ex vi cogitandi ratio omnium, quae animae conveniunt, peti non potest; siqui-

<sup>1</sup> *Ontol.*, c. II, art. 3, p. 17. — <sup>2</sup> I, q. LIV, a. 1 c. — <sup>3</sup> *Ibid.*

<sup>4</sup> *Dynam.*, c. I, art. 4, p. 98, vol. I. — <sup>5</sup> *Ibid.*, art. 9, p. 102.

dem, praeter cogitationes, aliae actiones, et facultates ad animam humanam pertinent. Ergo. 3° Essentia, cum rem in certa specie constituat, aliquid determinatum sit oportet. Atqui vis cogitandi quidquam indeterminatum est; nam obiectum, circa quod versari potest, est quodammodo infinitum. Ergo. 4° Denique: Haec theoria, qua essentia animae in vi cogitandi consistere statuitur, ab illo pronuntiato proficiscitur, substantiam esse causam, seu *vim*. Atqui hoc pronuntiatum tum ex iis, quae in *Ontologia* diximus<sup>1</sup>, absurdum esse ostenditur, tum ex eo, quod vim cogitandi in creaturis tamquam aliquid subsistens adstruit. Ergo<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cap. VII, art. 2, p. 43.

<sup>2</sup> Praestat hic illam attingere quaestionem, an in perenni cogitatione anima humana versetur. Cartesiani, cum animae humanae essentiam in cogitatione ponant, consequenter asserunt ipsam in perenni cogitatione versari; quia si cogitatio aliquo temporis momento in anima cessaret, eius essentia destrueretur. Eandem sententiam propugnavit Leibnizius, quem secuti sunt Genuensis, Storchenavius, Galluppius, alique. Hi autem, cum non assentiantur Cartesio contententi essentiam animae in cogitatione consistere, perennem in anima cogitationem hac ratione adniti arbitrantur. Cum vita in actione consistat, cumque vita propria animae sit cogitatio, anima, nisi cogitaret, non viveret. Nobis haec quaestio secundum philosophiae Scholasticae placita hoc modo dirimenda videtur. In primis memoria revocandum est *cogitationem* accipi posse vel strictiori sensu, prout non aliam cognitionem, nisi intellectivam, significat, vel sensu latiori, prout etiam cognitionem sensitivam complectitur. (Cf s. Thom., 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CLXXX, a. 3 ad 1.) Iam, si cogitatio hoc altero sensu accipiatur, negandum non est animam numquam cogitatione destitui, quatenus sensationibus, quae tactui passivo respondent, expoliari non potest (*Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 8 c.). At secus res se habet, si de intellectibus sermo sit. Etenim anima, ut saepe diximus, quamdiu est in corpore, ministerio sensuum indiget, ut actu intelligat. Si ergo sensus sunt ligati, ut in somno, vel minus apti ad ministranda phantasmata, sicut accidit in infantibus, amentibus, aut aliquo morbo laborantibus, tunc intelligentiae exercitatio vel cessat, vel perturbatur (I, q. LXXXIV, a. 8 ad 2.). Id ex eo confirmatur, quod si intelligendi facultas etiam, e.g., in infantibus exercetur, eorum actus honesti, vel pravi, ideoque virtutis, ac vitii, sive praemii, ac poenae capaces esse possunt; id quod ab Ethicae legibus longissime abhorret. Futilis autem est ratio, qua adversa sententia superstruitur; siquidem vita proprie ad animam intellectivam, quatenus habet naturam ad intelligendum; ad ipsum autem intelligere non nisi sensu improprio et translato pertinet (I, q. XVIII, a. 2 c. et ad 1).